

PSALMVS CXV.

ARGVMENTVM PSALMI.

Contēdit hoc Psalmo Vates, pro gloria Dei Israël aduersus deos ac simulachra gentiū. Deinde hortatur populum, & sacerdotes, & pios quosuis, vt spem collocent in Dominum, polliceturq; & ipsis & posteris eorum diuina benedictionis gratiam: & simul admonet, vt Dominū laudibus in sempiternū vsq; extollant. Diuidunt aliqui hunc Psalmū in duos, faciuntq; initium CXVI. in versu duodecimo: ibi: Dominus memor est nostri. verū simplicius visum est, vt Ebraea exemplaria, qua iam sunt in manibus, sequentes, versus hosce decem & octo vnius Psalmi corpori includamus.

VERS. I. **N**ON nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo potius da gloriam: propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.

2. Quare dicunt gentes, Vbinam est Deus eorum?
3. Deus noster in cælo: quicquid ipsi lubet, facit.
4. Simulachra eorum argentum & aurum, opus manuum hominum.
5. Os habent, & non loquuntur: oculos habent, & non vident.
6. Aures habent, & non audiunt: nares habent, & non olfaciunt.
7. Manus habent, & non attrectant: pedes habent, & nō incedunt, nec gutture suo quicquam sonant.
8. Vt illa sunt, sic sunt qui faciunt ea: & quicumq; illis fidunt.
9. Israël spera in Dominum, auxilium eorum & scutum eorum ipse.
10. Domus Aheron sperate in Dominum, auxilium eorum & scutum eorum ipse.
11. Qui timetis Dominū, sperate in Dominū: auxilium eorum & scutū eorum ipse.
12. Dominus memor est nostri, benedicet, benedicet domum Israël: benedicet domum Aheronis.
13. Benedicet timentes Domini, paruulos cum maioribus.
14. Adijciat Dominus super vos, super vos & super filios vestros.
15. Benedicti vos Domini, qui fecit cælum & terram.
16. Cæli cælorum Domini sunt, & terram dedit filijs hominum.
17. Non mortui laudant Dominum, neq; quicumq; descendunt in silentium.
18. Sed nos benedicemus Domino, ab hoc tempore vsq; in seculum. Halleluiah.

LECTIO. Quare dicunt gentes.] Ebr. למח יאמרדו חגי. Græc. & vulg. Lat. Ne quando dicant gentes. Et Hieron.

Vers. 2. Ne dicant gentes. Felix: Cur dicent gentes. Sic & Pagninus.

Vers. 3. Quicquid ipsi lubet, facit. Ebr. כל אשר חפץ עשה. Græc. & vulgata Lat. & Felix, & Pagninus: Omnia quaecunq; voluit, fecit. Et Hieronymus: Vniuersa quæ voluit, fecit. Sic Iustin. Tigurina sic: Qui perfecit quicquid voluerit.

Vers. 4. Simulachra eorum.] Ebr. עציבתה. Significat autem עצי dolorem, & pro simulachro ponitur hoc loco Græc. & vulg. Lat. Simulachra gentium. Sic & Arabs. Hieron. Idola genium.

Vers. 5. Os habent, & non loquuntur.] Græcus, vulgata Latina, Hieronymus, Felix, Iustinianus & Pagninus legunt in futuro: Non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non palpabunt, non ambulabunt, non clamabunt, &c. Verū Camp. & Felinus & Tigurina legunt in præsentī: Non loquuntur, non vident, &c.

Vers. 7. Nec gutture suo quicquam sonāt.] Ebr. לא יחגור: id est. Non meditantur. Græc. & vulg. Lat. Non clamabunt. Hieron. Nec sonabunt. Laltin. Nec dissertabunt. Felix: Non loquentur. Sic & Pagn.

Vers. 8. Vt sunt illa, sic sunt qui faciunt ea.] Græc. & vulg. Lat. & Hieron. & Felix, & Iustin. & Pagn. per modū imprecandi legunt: Similes illis fiant. Felinus & Zuinglius: Similes his sunt.

Vers. 9. Israël spera in Dominum.] Græc. & vulg. Lat. & Arabs: Domus Israël sperauit in Dominum. Hieron. Israël confidit in Domino. Sic & Iustin. & versib. sequentibus Græc. & vulg. Lat. Sperauit legunt, & Sperauerunt.

Vers. 12. Dominus memor nostri.] Græc. Κύριος ἠμῶν μνησθεῖς ἡμῶν: id est, Dominus memor nostri. Vulgata Lat. & Felix, & Pagninus: Dominus memor fuit nostri. Hieron. Dominus recordatus est nostri. Felinus: Authopyes memor erit nostri. Et sequentia legunt in præterito. Græc. & vulg. Latina: Benedixit nobis, benedixit domui Israël, &c. Hieronymus, & Felix, & Iustin. & Pagninus legunt in futuro: benedicet.

Vers. 14. Adijciat Dominus super vos, Græc. vulg. Lat. & Iustin. & Felix & Pagnin. legunt per modum optandi: Adijciat, addat. Campensis in futuro: Addet ad vetera beneficia.

Vers. 15. Benedicti vos Domini.] Ebr. ברוכים אתם ליהוה. Græc. Εὐλογημένοι ὑμῶν ὑπὸ κυρίου. Vulg. Lat. Benedicti vos à Domino. Sic & Arabs, & Hieron. & Felix, & Pagn. Chald. Benedicti vos à conspectu Domini.

Vers. 17. Neq; quicumq; descendunt in silentium.] Ebr. est דרמה: id est, Silentium. Græc. & vulg. Latina: In infernum. Pagn. In sepulchrum. Chald. In domum sepulture terrestris.

EXPLA. Sed nos benedicemus Domino.] Græc. & vulg. Lat. & Arabs addunt: Qui viuimus,
NATIO. Non nobis Domine, non nobis.] Statim initio Psalmi exprimit animi sui affectum. Vrebat ipsum vèhementer, quòd Israël populus Dei irridebatur à gentibus impijs & idololatrijs, hoc nomine, quòd Deum haberet, quem monstrare non posset: quasi pro vero Deo non Deum, sed inane figmentum Dei coleret: cū ipsæ gentes ea cæcitate laborarent, & hanc ignominiam non Israël, sed vero Deo inferrent.

inferrent